

Quid fibi olim somniaverit Zeno Ethnicus: *DEUM, ajens, esse globosum, at non fractum, minimè verò infinitum, vix divinare licebit, cùm mathematicam sapiat dimensionem.* Interim sæpiùs nominata proles Sociniana, cumque illis crassissimus Vorstius, non in sese, sed tantummodo respectu nostri & pro captû intellectûs humani, infinitum esse Numen, criminantur, nec non è Subjectô & attributis, perinde ut Arminianis ex affectibus, compositum; hóc potissimum elumbi freti sophismate, quia nullibi deprehendatur effectus nec virtus infinita, quæ talem sequi essentiam oporteat: quasi verò tutor rationalis calceum consueret sui similem sensibus ac intellectû præditum? nefariè commiscent Causam univocam cum æquivocâ, proximam cum universali, internam itidem & essentialem virtutem cum externâ transeunte, affectionem propriam cum effectione, agendi modum cum opere productô. Et si valeret paradoxon, plura darentur infinita, quod ἀπορον.

Nec minùs fudes in oculis iisdem est nasutulis divina immensitas, dum ad solam nimis ἀφιλοσοφως restringunt potentiam: quomodo enim ab Essentia in se mensurabili quicquam proficisci queat immensum, quis enodabit? Æternitatem DEO imputant successivam, non advertentes, quàm turpi se hóc ipsô intricent denuò contradictione. Tempus quidem successiva audit rerum duratio, æternitas verò nihil habet successivi, instans quippe *ω̄* & prorsus invariabile: quandoquidem æternum, vi etymi, connotat Ens extra omnem terminum constitutum, adeoque interminabile ratione principii & finis, indefectibile, omnisque expers mutationis, nec non indivisibile, ità ut nullò planè labore fluxû, neque in esse, neque in propriis & internis actibus. Quid? quod æternitas circa DEUM non ut accidens æstimanda veniat, cùm ipse sit actus æternus. Ortum trahit opinio ex alio absurdo, quò tempus per se DEO coæternum faciunt,